Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Briefe - Cod. Aug. perg. 83

Paulus <Apostel, Heiliger>

[S.l.], [11. Jh.]

Inc.: primum quaeritur quare post evangelia quae supplementum legis sunt et in quibus nobis exempla et praecepta vivendi sunt (...)

urn:nbn:de:bsz:31-11851

Visual Library

Primum quaeritur · quare post euangelia quae supplementum legis sunt & in quib; nobis exempla & praecepta
uiuendi plenissime sunt digesta · uoluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare; Hac autem
causa factum uidetur · ut scilicet initia nascentis ecclesiae · nouis causis existentibus praemuniret · & praesentia
atq; orientia resecaret uitia · & post futuras excluderet quaestiones; Exemplo prophetarum qui post editam legem
mosi · in qua omnia di mandata legebantur · nihilominus tamen doctrina sua · rediuiua semper populi com
pressere peccata · et propter exemplum · libris ad nram quoq; memoriam transmisere; Deinde quaeritur, cur non
amplius quam x epistolas ad ecclesias scripserit; decem sunt enim cum illa quae dicitur ad hebreos · Nam reliquae
quattuor, ad discipulos specialiter sunt porrectae; ut ostenderet nouum non discrepare a ueteri testamento · & se
contra legem non facere mosi · ad numerum primorum decalogi mandatorum, suas epistolas ordinauit · & quot
ille praeceptis a pharaone instituit liberatos · totidem hic epistolis a diaboli & idolatriae seruitute edocet adquisitos;
Nam & duas tabulas lapideas · duorum testamentorum figuram habuisse, uiri eruditissimi tradiderunt; Epistola
sane quae ad hebreos scribitur · quidam pauli non esse contendunt, eo quod non sit eius nomine titulata · & propter
sermonis stilique distantiam · sed aut barnabae iuxta tertullianum · aut lucae, iuxta quosdam · uel certe clementis di
scipuli apostolorum · & epi romanae ecclesiae · post apostolos ordinati; Quibus respondendum est; Si propterea pauli
non erit, quia eius non habet nomen · ergo nec alicuius erit, quia nullius nomine titulatur; Quod si absurdum est · ipsius
magis esse credenda est · quae tanto doctrinae suae fulget eloquio; Sed quoniam apud hebreorum ecclesias · quasi destructor
legis · falsa suspicione habebatur · uoluit tacito nomine, de figuris legis & ueritate xpi reddere rationem · ne odium
nominis fronte praelati · utilitatem excluderet lectionis; Non est sane mirum · si eloquentior uideatur in proprio id est
hebreo quam peregrino id est graeco quo epistolae sunt ceterae scriptae sermone; Mouet enim quosdam · quare
romanorum epistola in primis sit posita · cum eam non primam scriptam ratio manifestet; Nam hanc se proficiscentem hiero
solimam scripsisse testatur · cum corinthios & alios ante ut ministerium quod secum portaturus erat colligerent
litteris cohortatus sit; unde & intellegi quidam uolunt · ita omnes epistolas ordinatas · ut prima poneretur quamuis poste
rior fuerit destinata · ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora ueniretur; Romanorum namq; plerique
tam rudes erant · ut non intellegerent, di se gratia · non suis meritis esse saluatos & ob hoc duo inter se populi confligerent ·
Idcirco illos indigere asserit confirmari · uitia gentilitatis priora commemorans; Corinthiis autem iam dicit scientiae gratiam
esse concessam · & non tam omnes increpat · quam cur peccantes non increpauerint, reprehendit · Sicut ait · Auditur inter uos
fornicatio; Et iterum; Congregatis uobiscum meo spu tradere huiusmodi hominem satanae; In secunda uero laudantur ·
& ut magis magisq; proficiant, admonentur; Galatae iam nullius criminis arguuntur · nisi hoc tantum quod callidissimis
pseudoapostolis crediderunt; Ephesii sane nulla reprehensione sed multa laude sunt digni · quia fidem apostolicam seruauerunt;
Philippenses etiam multo magis conlaudantur · qui nec audire quidem falsos apostolos uoluerunt; Thessalonicenses nihilomi
nus in duabus epistolis omni laude prosequitur · eo quod non solum fidem inconcussam seruauerint ueritatis · sed etiam in persecu
tione ciuium fuerint constantes inuenti; Colosenses autem tales erant · ut cum ab apostolo uisi corporaliter non fuissent · hac
laude digni haberentur; & si corpore inquit absens sum · sed spu uobiscum sum · gaudens & uidens ordinem urm;
De hebreis uero quid dicendum est · quorum thessalonicenses qui plurimum laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur; sicut ipse ait;
Et uos fratres mei imitatores facti estis ecclesiarum di quae sunt in iudea · eadem enim passi estis & uos a contribulibus uestris quae et illi a
iudaeis; Apud ipsos quoq; hebreos eadem commemorat dicens; Nam & uinctis compassi estis · & rapinam bonorum uestrorum
cum gaudio suscepistis · cognoscentes uos habere meliorem & manentem substantiam;

ARGUMENTUM EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS

Romani sunt · qui ex iudaeis gentilibusq; crediderunt; Hi superba contentione uolebant se alterutro superponere; Nam iudei
dicebant; Nos sumus populus di quos ab initio dilexit & fouit; Nos circumcisi ex genere abrahae ex stirpe sca descendimus;
& notus retro apud iudaeam tantum ds; Nos de aegypto signis di & uirtutibus liberati · mare sicco pede transiuimus · cum
inimicos nros grauissimi fluctus inuoluerent; Nobis manna pluit dns in deserto · & quasi filiis suis caeleste pabulum ministrauit; Nos
die noctuq; in columna nubis ignisq; praecessit · ut nobis inuiis iter ostenderet · Ne quid et cetera eius circa nos inmensa bene
ficia taceamus · Nos soli digni fuimus di legem accipere · & uocem di loquentis audire · eiusq; cognoscere uoluntatem · In qua
lege nobis promissus est xps; Ad quos etiam ipse se uenisse testatus est dicens; Non ueni nisi ad oues quae perierunt domus isrl
cum uos canes potius quam homines appellauerit; Aequumne ergo est ut hodie idola deserentes · quibus ab initio deseruistis
nobis comparemini · & non potius in proselitorum locum ex legis auctoritate & consuetudine deputemini ·

G. B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg